



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Duæ historiæ à dæmonibus in igne sepultorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

itaq; humana verecundia, perrexit ad Ecclesiam: sed tremebundus ac pauens stare cepit, atq; per singula momenta suspectus, quâ horâ immâdo spiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cumq; vehementer timeret, ei in illa Missarum celebritate quasi aduersi nihil contigit. Qui latius exijt, & die altero Ecclesiam jam securus intrauit. Factumq; est, ut per sex continuos dies latius ac securus procederet, aestimans quod eius scelus Dominus aut non vidisset aut visum misericorditer auertisset. Die autem septimo subita morte defunctus est. Cumq; sepultura traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus de sepulchro illius flamma exijt, & tandem ossa eius concremanit, quousq; omne sepulchrum consumeret, & terra, qua in tumulum collecta fuerat, defossa videretur. Quod videlicet Omnipotens Deus faciens, ostendit, quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re nobis quoq; hæc audientibus exemplum formidinis dare dignatus est: quatenus ex hac consideratione colligamus, quid anima viuens ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur.

V. Quod etiam aliàs sæpe est demonstratum. Ut enim illud Luc. 16. 22. confirmaretur: Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno: audi piûm scriptorem: Tempore quodam Suenis quibusdam peregrinationis gratia profectis Ierosulymam, cum in reditu nauigarent iuxta montem Vulcanum, cuius perpetua sunt incendia, vocem huiusmodi de illo reuouerunt; Bene veniat, bene veniat amicus noster Schulsetus de Kolmere: frigus est, ignem ei copiosum preparate. Illi personam cognoscentes, diem & horam notauerunt, & cum ad propria redissent: eundem Schulsetum, die & hora eadem, defunctum repperunt. Subjungit idem author & istud. Alio tempore quidam Flamingi, cum mare transirent de eodem monte Vulcano vocem huiusmodi audierunt. Bonus amicus noster Siwardus hic venit, suscipite illum; qui cum multo stridore missus est in Vulcanum: nam & ipse Schulsetus fuerat in Leggenich. Illi notantes tempus, & nomen persona, reuersi villam jam dictam intrauerunt, & cum de Schulteto requirerent, eum eadem die & horâ, quâ vocem audierunt in mari, obijisse repperunt: nam & ipse homo pessimus erat, sicut & superior.

VI.

Qualiscumque sit corporis tumulus, certè anima miserima in inferno sepelitur. Aliquando autem diuina iustitia, ad

terro-